ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Ecce tibi responsorias, Affinis optime, ad illas quas fidelitati meae commiseras. Propemodum ad vos proficiscendi consilium cepi de sententia vestri amici Dni de Mori. Si quaeris cum uxore, an solus: non facile dixerim. ita multa occurrunt quae charissimae conjugis voluntatem huc illuc distrahant. propensior tamen in hanc partem est, ut hic remaneat, ne videretur in victoria Principis exultare, quam illa omnino deprecatur, si nob. Senatorib. Brabantinis decedendum foret. Ad Clementissimum Deum omnia refero. quidquid acciderit Ejus voluntati libenter acquiescam. Principis victoria magnopere delectabor. Uxoris tamen causa non minimum laborabo. Verum unus ille nostra consilia gubernat ac moderatur Deus. cui si nos totos permiserimus; si minimum in nob. ipsis in Eo posuerimus omnia, ex iis molestiis facile emergemus, nihilque posthac aut malum metuemus, aut boni frustra cupiemus: multa etiam, quae non cupimus ad nos sua sponte confluent. Hunc nuncium ablego de mandato Dni de Tenhoven qui hoc exegit. Vale ac salve Affinis optime

Tuus in aevum [illegible]
D. de Wilhem

18 Feb. 1637 properanter Hagae

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wilhem) 79
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1697a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wilhem) 79
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1697a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wilhem) 79
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1697a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wilhem) 79
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1697a